ET dicimus adhuc quod aliquando ascendit dolor eciam ad occulos propter humorem melancolicum. Sic subito quod exsiccat extra occulos pacientis concauitatem fontis occulorum et apparent occuli inflati ultra modum. Et multi de istis sunt qui propter occasionem illam amittunt lumen ex toto. Et aliqui sunt qui vident sed tamen male. Vnde sciatis quod omnes possunt liberari sed a principio egritudinis cum istis curis: Primo debes purgare cerebrum [261 v 1] et stomachum cum pillulis nostris consolacionis: R. aloe epat. mirab. citri turbit. sandal. citr. reubarb. ana ℈ aloes olibani albi agarici nucis inde succi liquir. se. apij lactuce cicoree basiliconis ana ℈ β alias ℈ I Omnia ista subtilissime pistentur et cum succ. A M pag. 35.
ro. recencium incorporentur. De quibus infirmus secundum sui potentiam assumit. Postea purgato cerebro super oculum ponatur de illo mirabili emplastro quod sic fit: R. poma acerba et coque sub cinere calido ita quod mollificentur et coquentur & midentur a cortice et in mortario eneo pistentur et cum quatuor pomis iungatur iiij clara oui & simul ducantur in mortario donec fiat emplastrum ad modum vngenti. De illo laudabili emplastro ponatur supra stuppam. Postea ponatur super occulum clausum omni die bis. illud emplastrum multum valet. Sed vespere et mane superpone. cum istis curis liberabitur paciens a principio de ista infirmitate. Quia nos innumerabiles homines cum istis curis liberauimus et curauimus dicemus & vobis quantas virtutes habet illud emplastrum praedictum Primo detumescit occulum. 2° collocat ipsum ad locum suum. 3° mitigat dolorem et restaurat lumen pacientis & recuperat.

23. Cap.

DIcimus vobis quod propter humores melancolicos generantur vngule in occulis. Incipiunt crescere in occulis a parte lacrimali minoris & compleatur ad inuicem. cursus ipsorum semper est versus pupillam. Et si postquam est super tunicas occulorum non

Digitized by Google

ncidit et sic postquam fiant inveterati antequam occupant pupillam et prohibeant lumen. postea non de facili curantur sicut a principio nascitur alia vngula ex parte lacrimali minori et compleatur ad inuicem & occupantur totum occulum & prohibet lumen patientis. Et dicimus quod omnes sunt curabiles sed cum magna discrecione et operacione manuum. Cura eorum hec est: R. vncinum de argento et cum ipso suspen [v 2] datis ipsam vngulam a tunica occuli et cum rasorio ipsam incidatis usque ad lacrimalem Ita diuidendo lacrimalem vbi habet originem suam. Et incidatis eam ex toto. hoc facto habeatis bombicem vnctam in albugine oui. clauso occulo supponatis usque ad decem dies. Finito decem dierum termino abluat se aqua calida et abluendo occulus mittat intra de puluere nabetis mane & sero donec occulus sit clarificatus et rehabebit paciens lumen suum sicut desiderat. Et iterum custodiat se a contrarijs cibis. Et nullam medicinam ponatis in occulis quia probata per improbata non debetis relinquere. Quia ex improuisu multi falluntur.

24. Cap.

ET dicimus aliquando habundat in cerebro sanguis melancolicus et incipit cursum suum per occulos propter nimiam habundanciam et facit desiccare ipsas palpebras. Et illa desiccacio vertitur postea in ardorem et pruritum. Idec quia non consumitur purgacione et non custodierunt se a contrarijs a principio infirmitatis. Docuimus vos signum. Hec est cura: Si est autem inuenis faciatis eum minuere de vena quae est in medio frontis. facta minucione medicetis cum collirio ruborum. Ad quod R. xl tallos ruborum tenerorum alias xl pampanos tenerissimas spini pista eos bene ad modum salse. postea misce cum eis ij lb. boni vini et faciatis totum bulire in vna olla noua donec redeat ad medietatem postea deponatur et coletur et de illo collirio ponatur in occulo omni die bis &c. quousque liberabitur paciens usque ad plenum. Et sciatis quod magis inveniebamus de illa infirmitate habentibus in Roma quam in alijs provinciis. Et Dicimus quod hoc collirium ad omnes scanderaturas A M pag. 36.
et rubedinem palpebrarum [262 r 1] Et vocamus ipsum collirium ruborum quia fit de tallis ruborum.

25. Cap.

Nascitur quidem humor extra occulum inter nasum et palpebras & tumescit et totus occulus circumcirca ipsum cum medietate

Digitized by Google

palpebre faciei sed non offendit occulum. Et rustici vocant ipsum humorem benedictum. Et romani maximiciliani patula ultramamarini francigene vocant ipsam maledictam. Et certe bene dicunt. Quia est nimis cum magno dolore et terrore nata. Et hec sunt signa cognoscendi eam: Quia ex illa tota palpebra est dura & rubea & tumefacta et tenet occulum ita clausum quod paciens quod paciens nullo modo potest aperire. Cum audiuistis signa: Hec est cura optima et probatissima ad quam R. medullam frumenti veteris vitella ouorum ana ℈ I croci uel zz" ζ I hec simul incorpora et pistentur in formam vngenti cum lacte. Alia recepta: R. medullam frumenti veteris vitella ouorum auxungiam vituli et galline & aliquam partem croci ana ζ I Ista insimul pistentur et mollificentur cum lacte mulieris donec deveniat ad formam vngenti liquidi. de illo emplastro ponatis super benedictam illam sed inter vnam palpebram et aliam ponatis licinum de panno ut teneat emplastrum ut non intrat occulum. Sciatis quod tria facit emplastrum illud: Quia Primum est Quia totum humorem coaduniat. 2° vero obturat maturat. 3° quia attrahit et mitigat dolorem. Cum isto emplastro innumerabiles homines currauimus Et liberauimus de ista infirmitate. Et magis regnat in inuenibus quam in senibus. Et plus inuenimus in Russia quam in alijs provincijs. Item aliam medicinam pro ista infirmitate: Accipe radicis lilij et assa sub cinere calido valde. postea recipe poma acerba [r 2] coque eciam in igne & munda a cortice et pista ea insimul cum radice et albumine oui et incorporentur ad modum vngenti non nimis liquidi et similiter pone eam super praedictam infirmitatem. Et sit tantum de vno quantum de alio donec ille totus humor consumatur et occulus possit claudi & aperiri & super circatricem ponatis vngentum quod fit ex aloe epatico auxungia galline et oleo amigdalino et cera alba ana ζ I et sic consolidabitur circatrix cum isto vngento et tali modo ac si non fuisset ibi vlla macula et paciens liberabitur sine dolore et cum gaudio laudans deum et benedicens studio nostro. Sed recordamur vobis ut semper habeatis vobiscum

---

§ Devetz saber senhors que en totas las enfermetatz dels uelhs quals que sian ni quals que non. vos devetz aver del enguent alabaustro lo cal nos avem dith de sobre que se fay am las cimas de las Ronze e la peira ques a nom alabaustro e devetz onchar las templas e las silas.

Digitized by Google

de vngento alabastri in omnibus curis occulorum vestris. Et ponatis semel in die scil. sero vngentis de eo tympora et frontem et supercilia pacientis. Quia multa facit: primo enim medicinam nostram occulorum iuuat 2° mitigat dolorem. 3° non permittit ad occulum dolorem ascendere spiritum et humores. 4° vero facit pacientem quiescere die noctuque ac si nullam maculam habuisset. Multi isti qui fuerunt passi talem infirmitatem venerunt coram nobis cum palpebris reuersatis interrogantes an adhuc possent curari & liberari. Et nos interogavimus eos qualiter eis accidit & ipsi nobis dixerunt: Domine habuimus quoddam apostema quod benedicta vocatur et non sumus bene curati. Vnde ad conuersionem istius circatricis manserunt nobis palpebre reuersate. et ipsi faciebant pactum nobiscum ad hoc ut possent per me curari et liberari. Facto pacto accipiebamus rasorium et diuidebamus palpebram a cicatrice ita subtiliter et discrete quod palpebra reuertebatur sursum: Facta illa incisione ponebamus postea desuper puluillam de panno lineo ad modum digiti factam [262 v 1] et intinctam in albumine oui & dimittebamus usque ad alium diem cum fascia ligatum. Et de illo inantea mittebamus operacionem istam et faciebamus vngentum de auxungia gallinana & cum albumine oui & invngebamus. Item aliam medicinam pro illa infirmitate: Acc. radicis lilij puluillos sicut prius faciebamus cum albumine oui et ponebamus super illam cicatricem illos puluillos donec cicatrix illa erat consolidata et eciam tenebant palpebras in bono statu & tamen ter in ebdomada ponebamus de spongia marina ad modum puluilli et ut pupilli superfluitas quam cicatrix faceret consumari. Quia spongia marina tria facit: Primo quia destruit carnositatem & pulmo siccitatem quam cicatrix facit ad suam consolidacionem. 2° quia attrahit et uiuificat spiritum & sanguinem. 3° quia facit plagam consolidare tali modo quia remanet in bono statu. et taliter curauimus omnes qui habebant palpebras reuersatas de quocunque modo venerant praeter istos quorum palpebre erant reuersate occasione ponderis multe carnositatis et simili occasione scil. habundancia sanguinis prvritu palpebrarum sicut habetis primo tractatu

§ Quant alcun es feritz per colps pres del uelh et apar lo sanc pres del uelh. aias .i.ª teula rossa e fay lan escalfar al foc ben e pueis met sobre la teula sobre ditha de melh e layssa bolir ben e pueis (e) tu aias de coton mulath ambaquel melh e met de sobrel colp e cera gueritz

Digitized by Google

nostro de pruritu occulorum qui fit ex habundancia sanguinis quando per annum stant quando non sunt curate palpebre occulorum reuersantur. Vnde karissimi tales non debetis inscidere in extrinseca parte sed intrinseca totam illam cornositatem cum mutuo et rasorio ita sagaciter et discrete quod palpebre vbi nascuntur pili non incidatis. Hoc facto habeatis puluillos sicut in alijs curis de reuersatis in trinsica parte ponatis et mittatis bis in die puluillos praedictos sero et mane. Et sic liberabitur paciens usque ad plenum [v 2] laudans dominum nostrum Iesum Christum. Sciatis quod magis inuenimus de istis in Cassia et in Bononia quam in alijs prouincijs.

26. Cap.

DE istis humoribus melancolicis generatur in multis hominibus quedam infirmitas inter nasum & occulum. Et est quasi quedam carnositas. Et in multis locis vocatur muru wlgariter cursu. Et in multis locis vocatur fungus. Vnde cum videtis talem infirmitatem taliter procedatis in curacione: R. rasorium & cum illo rasorio illum morbum inscidatis & excipietis a radicibus suis. postea habeatis ferrum calidum et cauterisate locum vnde habet originem ita tamen faciliter discrete ut non offendatis occulum. Qui murii semper nascitur inter nasum et lacrimalem. postea ponatis de super stupam intinctam in albumine oui bis in die donec siccetur & consolidetur ad plenum. sic facimus Et sic facietis cum benediccionc Iesu Christi.

ADhuc dicemus vobis alia signa de praedicta Muru: Dicimus enim uobis quod apparet quasi pulmo et est granulosus et semper amittit putredinem & apprehendit palpebram superiorem et ab alia parte oritur inter nasum et lacrimalem. quando homo vvlt apprehendere ipsum cum vncino et rasorio non tenetur nec tenere potest propter suam conteneritatem [?] quia tenerum est propter suam granositatem et granulosus est et propter suam frigiditatem quia habundat in humoribus frigidis superfluis et corruptis.

27. Cap.

EXplanauimus vobis tractatum quatuor humoribus sanguinis flegmatis humore seu colere et melancolico. Docuimus curam et signa infirmitatis que procedit ex eis et artem A nobis Beneuenuto de ierusalem compositam quia expertum & probatissim [263 r 1] reddit artificem. Et quia est sapientum semper dare et audiendo

Digitized by Google

seruare et audienda conseruando a primis dantibus et a 2is par[?]antibus exit ars. Ammodo docebimus vos de infirmitatibus istis que conuenerunt in occulis ex parte extrinseca et ex vi cause percucientis scil. quando percussi sunt baculo uel lapide uel uirga alapa pugillo uel pugna. aut cum manu aut cana, aut aliquo stipite duro. &c. de consimilibus. Dicemus autem vobis quod quando videbitis aliquam percussum succurratis ei cum albumine oui quoniam cito poteritis antequam humores accurrant et dissoluantur scil. vitreus cristallinus et albugineus ne forte propter nimium dolorem quem sustinuit in occulo propter percussionem humorum occuli destruantur et nullam medicinam ponatis in occulis istam infirmitatem pacientibus nisi albumen oui Benedictum reuerbeatum cum subtili stipite uel virga donec totum reuertatur in spumam et habeatis bombacem et intingatis in illa clara oui et occulo clauso superponatis quater in die bis in nocte usque ad 3s dies sic faciendo. Et tamen si tunica sit fracta ponatis modo in occulo de virtute a deo data inventa a nobis. Et ita vocamus ipsam quia virtutibus magnis est plena dotata a deo. que facta est de germinibus ouorum sicut in scriptis nominibus ostendam bis in die et semel in nocte. Et propter hoc non dimittatis quando ponitis bombacem intinctam in albumine oui super occulum et clausum usque ad predictum terminum. Sed cum medicabitis infirmos vestros vngatis eis tympora frontem et supercilia vngento alabastro quod confortat cerebrum et viuificat spiritum visibilem et dolorem expellit. Et [r 2] sciatis karissimi si a principio cum sunt percussi non sunt curati cum istis curis scil. cum albumine oui & virtute a deo data Vnde narrauimus vobis virtutem et potentiam dominantem que est clara oui specialem pro istis percussionibus occulorum. Dicimus igitur quod tria facit occulo percusso: Primo quia mitigat dolorem ipsius 2° quia constringit humores 3° quia purificat occulum & nullam superfluitatem occulorum aliorum humorum neque spiritum mittit per occulos peruenire: Igitur digne nominata est clara oui quia cum intrat occulos clarificat & purificat occulos eius dolorem mitigat que sit ex percussionibus & hoc facit cum suauitate sue dulcedinis et percussionem sanat & dirigit. Et dicitur clara oui quia clarificat occulum & confortat suum simile. Et cura tunice fracte que vocatur virtus a deo data: Oua recencia que nascuntur de gallinis albis extrahantur inde germina pullorum usque ad xij et ponatis ea in mortario pulcro albo et mundo et

Digitized by Google

ducatis ea ad modum vngenti. Hoc facto in vase vitreo seruetis et paulatim in occulo uel in occulos pacientis bis in die ponatis donec tunica saluatrix consolidetur quam Joha'. vocat coniunctiuam & dicimus vobis karissimi sicut vngenta consolidatiua consolidant & purificant corpora & vvlnera. Ita medicina a deo data consolidat tunicam illam et purificat occulum a malo de percussione illa quam occulus sustinet. Et ideo vocamus ipsam a deo datam virtutem Quia habemus ipsam a virtute dei Et cum ista virtuosissima cura multos homines de istis percussionibus faciendo sic liberauimus et curauimus. Inter quos invenimus quendam puerum in Messana qui habebat occulum [263 v 1] incisum et erat tunica saluatrix incisa sic quod 3s humores occulorum videbantur sibi et pater suus & consanguinei sui dixerunt coram nobis & nos incepimus eum curare. Et sicut docuimus in praesenti cura intus occulum ponebamus bombacem intinctam albumine oui ter in die et semel in nocte et puer sic recuperauit visum sed non videbat quia lux erat catharacta catharactarum curabilium De prima specie que accidit extra occulum occasione percussionis. Vnde sciatis quod de istis percussionibus quocunque modo occuli fuerint percussi ipsi occuli catharactarum artho'izantur scil. postquam erant curati cum praedictis curis nostris de percussionibus quibusdam remanent clari sed nichil vident. Non timeatis igitur si non vident teneatis post pacientem stare sic per quatuor menses uel plures. Completo hoc accuatis accuate eis visum sicut docuimus vos in curis nostris catharactarum curabilium. Quia et nos siquidem fecimus de isto puluere et pluribus alijs ita sibi debetis percussiones curare scil. cum clara oui et virtute a deo data. Sed heu & proch dolor: stolidi medici qui ignorant artem & curam cum vident aliquem percussum accipiunt cyminum et ceram puluerisant et commiscunt simul et faciunt de istis duobus emplastrum et faciunt ipsum calidum et ponunt super occulum percussum. Et vvltis audire quanta mala faciunt si tunica est fracta: illud emplastrum attrahit totam substantium occuli & consumit omnes humores occulorum. Quia cera duo facit attrahit et consumit et cyminum dissoluit et liquefacit propter suam caliditatem et siccitatem Ecce 3a contraria attrahendo dissoluendo et consumendo destruens totam substanciam occuli Et sic discurrendo destruit occulos tali modo quod occulus postea [v 2] remanet deturpatus. Et si tunica non esset fracta attrahit sibi spiritus humorem et dolorem vndique

Digitized by Google

pungentes et circumcirca occulum & tantum pulsant donec occulum deuastant cum tota sua substancia. Et nos vidimus quoniam plurimos homines qui fuerunt percussi amiserunt totam substanciam occuli. Et invenimus et interrogauimus quem amiserant lumen occulorum. Et ipsi dixerunt: domine sumus percussi in oculum sed tamen videbamus aliquantulum sed fuimus cecati cum cera & cymino et ab illa hora amisimus lumen occulorum & ex toto ab illa medicina quia lacrimando exiuit paulatim substancia occuli cum maximis doloribus et angustijs occulorum. Vnde monemus vos quod quocunque modo occulus fuerit percussus intus uel extra medicetis eum cum clara oui quia simile nutrit & gubernat suum simile. postquam occulus scil. connexus oportet ut cum percutitur et leditur quod medicetur & gubernetur cum frigidis ut humorem occulorum non dissoluatis a nutrimentis suis propter passionem quam sustinuerit. Et multi alij fuerunt qui amiserunt lumen per emplastra facta ex absintheo et olibano et cum alijs rebus calidis et dissolutis. Audiuistis contraria que stolidi medici in occulis percussis faciebant: Et eciam docebimus vos de istis percussionibus que sunt circumcirca in supercilijs et tymporibus & a parte lacrimali minori neruorum & in esse quod est subtus uel supra palpebras occulorum inferiorum.

28. Cap.

Primo dicimus vobis de primo et supercilijs si homo esset percussus cum gladio & tangat os quod est circumcirca occulos i. e. subtus palpebram uel supra & est mala percussio quamuis non [264 r 1] tangat occulum & occulus apparet clarus tamen amittit lumen quod propter percussionem neruus opticus est ita opilatus quod spiritus pertransire non potest usque ad occulum. Item percussio que fit in tymporibus perturbat sic humorem occulorum quod paciens non potest bene videre. Et si est subtus inferiorem palpebram similiter non videt quamuis habeat occulum clarum. Vnde dicimus vobis quod cum videritis aliquem talium & vvltis certificari an uideat an non respiciatis ei in occulum et videbitis si pupilla est dilatata. Et si est maior alia sciatis quod nihil videt. Et si dixerunt vobis quod non videant respiciatis pupillam si dalatatur et stringit sicut facit in occulo sano: Quamuis videantur occulum sanum et clarum habere sicut alium et tamen nichil vident. Et habent ante lucem illa signa sicut praediximus in quo

Digitized by Google

nullam curam facere praesumatis. Quia nerus opticus concauus est ita opilatus quod spiritus visibiles nullo modo ad occulum possunt pervenire. Et dicimus vobis karissimi quot modis nerui optici opilantur et possunt opilari. primo per multa ieiunia et vigilias. 2° per multas angustias et planctus lacrimarum. 3° per multas verberaciones capitis et fatigacionem corporis. 4° & similiter accidit multis per nimium coytum. 5° Accidit eciam per multum legere & scribere. 6° opilantur eciam per multam melancolicam et magis cicius opilantur in illis qui sunt percussi circa occulum quam in aliquibus illorum de quibus superius diximus.

29. Cap.

Dicimus infirmitatem que venit in occulis occasione percussionis. Accidit enim multis qui sunt percussi inter supercilium & nasum & oritur ibi quedam humor corruptus exeundo per puncturam palpebrarum iuxta nasum ad modum lacrime. Et medici vocant illum humorem fistulam. Et [r 2] apparet iste humor quasi putredo iuxta cum lacrimis et semper habundat cursum suum et intrat occulum uel occulos & oculi semper sunt lacrimosi. Vnde dicimus vobis cum videbitis oculos lacrimosos et vvltis certificari si humor est corruptus qui dicitur fistula aut lacrime naturales et clare ponatis digitum vestrum indicem inter nasum & lacrimalem palpebram inferiorem postea respiciatis intus occulum et in illo angulo videbitis iuxta nasum exire per punctos palpebrarum. Si enim est causa Vnde multi stolidi medici ignorant proprium locum vnde exit humor ille siue putredo. Credunt quod veniat per medium lacrimale iuxta nasum inter vnam palpebram et aliam et faciunt istam pessimam curam: habent enim ferrum candens et cum ipso perforant superiorem et inferiorem palpebram et deturpant locum illum & credunt hic illum desiccatis sed non faciunt sed corrumpunt locum in quo faciunt cauterium. Et multa pacienti accidunt propter illam occasionem & lumen occulorum perdunt quia nerui occulorum habent viam iuxta illud. Vnde accidit quod nerui illorum desiccantur Sencientes ardorem & calorem cauterij quod isti stolidi medici faciunt. Nos autem diximus vobis quod primo debetis pacientis stomachum et cerebrum purgare cum pillulis nostris ierosolimitanis. Facta purgacione faciatis ei incisionem cum puncto rasorij intus palpebram inferiorem neque substantiam occuli & fiat cisura iuxta nasum per longum & sicut paruuncula et non scidatis nisi corium

Digitized by Google

tantum. Facta incisione ponatis intus in ista cicatrice granum ciceris Postea pannum lineum desuper & bene ligetis cum fascia Ita quod cicerum non possit exire. postea ponatis puluillum lineum desuper usque ad alium diem. In alia die in foramen quod cicer fecerat [264 v 1] ponatis de puluere nostro corrosiuo et mortificatiuo sicut demonstrabimus in fine libri in omnibus fasciculis. Et cum posueritis intus de puluere nostro faciatis eum claudere occulum et supponatis bombicem intinctam clara oui ita quod puluis nullo modo possit intrare occulum et cum fascia linea legetis usque ad alium diem. In alio vero die supponatis de auxugia suellina semper donec caro mortificata eleuetur cum puluere et remaneat occulus apertus & videbitis postea locum putrefactum vbi erat origo putredinis. Et iste cursus qui erat in lacrimali desiccatur. Et postea de spongia marina in foramen ponatis quod puluis fecit ad modum ciceris quousque bene purgetur & desiccetur illa quia spongia marina duo facit: aperit et consumit malos humores dum vvlnus est corruptum. postquam locus erat desiccatus tam per puncta lacrimalis quam per cicatricem dimittatis spongiam quod tamen subtus pannum lineum consolidabit sine ulla unccione et paciens liberabitur. Sed cum medicaueritis tales pacientes in quolibet sero detis ei de mirabili electuario. Cum ierit dormitum ad quantitatem vnius castane.

30. Cap.

Docuimus vos curam probatissimam de lacrimis occulorum corruptis sed secundum alios fistule dicuntur. Emmodo demonstrabimus vobis de naturalibus lacrimis vnde habent exitum. Ideo quia multi credunt quod lacrime exeant de occulis. Sed decipiuntur. Elij putant quod veniant de cerebro & habeant meatum et similiter viam per occulos. qui similiter decipiuntur. Sed non ex toto. Quia quedam bene sunt qui veniunt a cerebro secundum quandam conuenienciam sed non per occulos. Elij credunt quod exeant per medium lacrimale magis. qui similiter decipiuntur. Elij dicunt quod veniunt per medium [v 2] occuli qui omnes fallunt et falluntur nec sunt in cogitacione veritatis Nos autem Beneuenutus de ierusalem cui dominus noster Iesus Christus a quo omnia proceduut dedit veram experienciam de omnibus infirmitatibus que superveniunt et accidere possunt circa oculos et de substantijs et de humoribus & de complexionibus eorum Et quis eorum melius videat et possit videre et qua de causa et qua specie spiritus visi-

Digitized by Google

bilis magis operatur in vno quam in alio: Similiter dicimus quod lacrime exeunt per punctos palpebrarum que stant iuxta nasum que dicuntur lacrimale & exeunt tam de superioribus quam de inferioribus punctis palpebrarum vbi sunt duo foramina videlicet in ambabus palpebris vnde exeunt l crime. Et si vltis certificari et dimittere errorem antiquum reuertetis palpebram et prospiciatis in lacrimale maioris sicut diximus in capite puncto palpebre vbi finiuntur pili et ibi inuenietis foramen de quo exeunt lacrime et habent cursum suum & eciam lacrime putrefacte de quibus supra diximus. Item diximus vnde lacrime habent cursum et vnde semper exeant. Ammodo docemus vos differenciam inter eas que exeunt a palpebris svperioribus & eas que exibant a palpebris inferioribus Dicitur quod lacrime que exeunt per palpebras inferiores procedunt a corde quando aliquis constringitur pro alio dolore ad plorandum quia veniunt ex vi et iste sunt curabiles quia mitigante et cessante dolore cessant & lacrime. Ille vero que veniunt a cerebro propter aliquem corporum pone uel habundancia scil. superfluitatem [265 r 1] humoris et cursus istarum non cessat nec potest cessare nisi materia purgetur et adiuuetur et detinetur cum electuarijs nostris secundum quod ars nostra probatissima occulorum demonstrat. Ammodo docebimus vos de aliis infirmitatibus que accidunt in occulis ex percussione. Sequitur

31. Cap.

IN multis hominibus & magis istis qui frangunt lapides scil. latoms & malendinatorijs quia aliquando esultat aliquid ex fricacione occuli et ita incarnatur supra pupillam uel supra tunicam occuli Vnde accidit propter illum dolorem quoniam fuit illud caucillum siue sit de frammento siue de acuta lapidis occuli semper lacrimantur ita quod parum potest aperire occulos propter illud concillum frammenti et multos invenietis de istis qui habent frammentum & multi sunt qui habent id frammentum inter nigredinem et albedinem occuli. diximus vobis causam. Hec est cura: faciatis pacientem sedere coram uobis supinum et ponatis caput suum in genua vestra et faciatis eum claudere occulum sanum et aperire alium scil. pacientem in quo est illud frammentum. a tunica occuli uel ab illo loco vbi se tenet ita suauiter et discrete quod nullo modo tangatis tunicam occuli vel illum locum vbi manet cum I^{a} acu maxime cum puncto. Sed ducatis eam super tunicam radendo

Digitized by Google

sicut faciunt barbitonsores barbam radendo cum rasorio. sic faciendo separabitis ipsum a tunica illa vel ab alio loco in quo manet. Et si foramen est magnum tunc mittatis intus occulum de virtute a deo data et super occulum exterius ponatis bombacem intinctam in albumine oui bis in die et semel in nocte. Et sic erit liberatus paciens tribus diebus et si tales non sunt curati [r 2] et illud frammentum per aliquod tempus fuerit et steterit super tunicam occuli totam tunicam occuli dealbabit et sic paciens amittit lumen de illo pa'

32. Cap.

Adhuc dicemus vobis de praedicta infirmitate aliam similem curam contra infirmitatem que provenit ax aristis que intrant occulos. Et tempore quo nos eramus in ciuitate que vocatur Luca homines de terra illa duxerunt contra quandam hominem qui habebat in occulo quendam aristam spice frumenti que intrauerat occulum cum ipse metebat & erat ista arista ex intrinseca quod capita ariste non apparebant super tunicam. Et nos incidimus tunc tunicam super aristam ab alia parte vbi erat seu intrauerat tam plane et suauiter quod nos non turbauimus tunicam Postea habuimus duas acus ad modum tinabule i. e. simul ligatas postea misimus vnum punctum vniorum acutum illarum accuum subtus aristam et ab illo latere non incidimus tunicam & alium punctum acus tinabule et constringendo & torquendo cum digitis vestris acus illud retraximus istam praedictam aristam de occulo istius pacientis. ex alia parte habuimus de virtute a deo data et posuimus in occulum ut habetis in scissura de tunicis occulorum bis in die donec tunica fuerit consolidata et occulus mansit securus et clarus. Vnde nos similiter sciatis & de pauperibus misericordiam habeatis ut dominus noster Iesus Christus melius adimpleat operaciones et curas.

33. Cap.

Inter omnes curas nostri libri volo dicere curam gloriosam et sanctissimam inter alias probatam a nobis de occulis et est proprie contra istos qui sunt morsi de aliquo mortifero animali in occulo sicut eciam morsus vespesiarum aranearum et aliorum similium istis similiter et ex aliquo aere corrupto & infecto. Vnde tota facies inflatur [265 v 1] tali modo quod paciens non potest aperire occulos. Et multi de istis mirabiliter dolent et non possunt re-

Digitized by Google

quiescere. Vnde cum videbitis talem pacientem aliquem semper accuratis ad ipsam sanctissimam herbam que apud quosdam vocatur cardus benedictus. Aput Romanus inspina. Hec sunt signa cognoscendi causam: Ideo quia duas similitudines prius in se habet folia munita 2° habet magis lata. Et dicimus quod omnes sunt de vna complexione et de vno sapore et habent vnam et eandem virtutem et faciunt ambo florem citrinum. Accipe eam et pista ad quantitatem vnius manipuli. Et ponatis cum ea medietatem albuminis vnius oui et misceatis hoc et ducatis ad modum emplastri & supra stupam & bombacem extensam supra occulum clausum ponatis & cum fascia ligetis & dimittatis ipsam desiccare & supra occulum postea ponatis donec occulus detumescet. Wltis audire quanta bona facit illud emplastrum gloriosum et sanctissimum in occulo tumefacto: primo detumescit occulum & expellit saniem et alleuiat dolorem et venenum destruit. Et quando occuli subito rubescunt et paciens sentit magnum dolorem uel haberet occulum plenum de arena tunc liberabitur ille paciens cum emplastro illo sanctissimo et gloriosissimo et gratissimo quam cicius posueritis super occulum suum. Et vocamus ipsum emplastrum gloriosum & gloriosissimum Ideo quia multas virtutes habet que sunt plene gloria et sanctitate. Igitur operamini eum salute et benediccione dei.

34. Cap.

HEc est cura pro nebula de qua dicemus In nomine dei nostri Iesu Christi: R. lapidem margaritarum teratur et subtiliter puluerisetur. Hic puluis positus super [v 2] pupillam occuli vbi est nebula sparso quasi in aere claro quam quidem vocant pannum. Mirabiliter sanat ipsum. Item iaspis puluerisatus corrodit nebulam praedictam et sanguinem expellit si occulus est sanguinolentus & rubeus. Item ad eandem valet cristallus puluerizatus & suppositus. Item corallus rubeus subtiliter puluerizatus valet. idem facit & iaspis et amplificat occulum. Saphirus tria facit in oculo: corrodit nebulam acuit lumen pupillam constringit & clarificat totum occulum et postquam intrat occulum occulus non potest deteriorari interim quod paciens viuit. Item Berillus puluerisatus corrodit nebulam et confortat humorem occulorum scil. albu. cris. et vitreum. Docuimus vos puluerem seu pulueres & virtutes quorundam lapidum preciosorum. Sciatis cum medicaueritis aliquos nobiles homines cum eis debetis operari & dare laudem deo qui suas virtutes dimisit in eis et magnificare altitudinem et magnitudinem

Digitized by Google

artis nostre probatissime occulorum ut recipiatis horam et causam. debetis cum ipsis miscere de puluere facto de suco coptiuo alias de succaro putocandi ut temporetur sua malicia quia sunt violentes. Et sciatis quod debetis ponere duas partes de puluere zuccari & vnam tantum de puluere lapidis & miscere. facto puluere reponetis in vase aureo uel argenteo & paciens medicetur bis in die scil. mane & sero. Et sciatis quod hec experimenta sunt probata a nobis & innumerabiles homines cum istis preciosis pulueribus liberauimus et curaüimus. Non nobis sed domino nostro referamus & uos referatis graciam et gloriam qui dedit nobis cognicionem de eis [266 r 1]

HIc superius usque huc docuimus vos pulueres preciosos et bonos contra nebulam praedictam. modo docebimus vos de eadem infirmitate quod cum volueris operari contra ipsam et vos non poteritis vnam illarum medicinarum habere et puluerem simul concurratis ad aliam sicut istam: R. gummam oliuarum & puluerisa. Et mitte in occulum. haec corrodit pannum et clarificat occulum. spiritum visibilem viuificat acuit lumen et visum reducit ad pristinum statum & sanitatem. Item gumma amigdalarum corrodit nebulam et clarificat visum et lumen occulorum. Item gumma prvnorum que invenitur iuxta vineas idem facit. Scripsimus vobis virtutes gummarum que valent contra nebulam que apparet in occulo quasi sparsa sicut nebula que est in aere claro: Et operamini ipsas cum salute qui acum sanctissimis istis ciris [?] seu gummis innumerabiles homines liberavimus & curauimus adiuuante domino nostro Iesu Christo qui est verus medicus salutis. habeatis ipsas medicinas probatissimas quia vere vbicunque ponuntur in occulis praedictis infirmitatibus siue panniculis iuuant et nunquam offendunt. De hoc experti sumus et igitur operamini cum ipsis cum salute &c. Sequitur

DE pulueribus que sunt de alijs rebus propter nebulam. et cum videtis pacientem habeatis duplices medicinas et non detis illis contrarium. Juuamentum ad praesens non est quia in illis maxime confidere possimus. R. zuccar Nabetis quia secundum nos candi vocatur et abluatis ipsum bene et postea tergatis ipsum bene cum panno lineo donec exsiccetur. postea puluerisa et de illo puluere super nebulam ponatur. corrodit pan[r 2]num. clarificat karissimi lumen occulorum et multa facit mirabilia in occulo. Item R. tutiam allexandrinj que sit subtilis et cum candi misce ana &

Digitized by Google

optime corrodit pannum clarificat lumen & lacrimas constringit et palpebras tumefactas subtiliat. rubedinem palpebrarum destruit et pruritum remouet et occulum ampliat. Item R. gummam feniculi et cum praedicto candi misce ana ℈ I in mortario eneo in modum salse et postea reseruetur in vase vitreo et ad solem ponatur donec bene desiccetur et fac puluerem. Et pone in occulis. corrodit nebulam sine dolore et violencia clarificat. Item R. radicem serpentine et munda a cortice. in mortario pistetur et per pannum lineum coletur ut exeat succus et illam colaturam cum zuccaro tere simul uel sarcocolla alba ita quod ℈ β sarcocolle uel zuccari ponatur ℈ ij succi illius radicis et simul in mortario reducantur et ad solem ponantur ut exsiccentur et in pul. reducantur. valet enim ad nebulam et ad alias qui paciuntur phariolos seu morbillos que in Calabria et in Celicia dicuntur pustule. Vnde dico vobis quod si a principio cum sint recentes cum praedictis pulueribus pacientes hanc infirmitatem ad sanitatem non ducuntur continuacio mane & sero postmodum cum erunt inveterat. difficulter venient ad perfectam sanitatem. Recordamur pro illo quod nobis videtur bonum & probatissimum et reddit artificem. Item R. spongiam et mundetur ab arena & postea habeatis duas testas terreas uel ferreas que fiant bene calide et inter illas comburatur donec uertatur in carbones et inde fac puluerem: corrodit pannum & tunicam et clarificat lumen. Item ad perfectam nebulam R. ligni aloes tutiam & lignum comburatur inter duo vasalia ut fumus non exeat [266 v 1] post habeatis zuccarum candi ℈ I et in vasili superiori pistetur ipsum cum praedicto fumo donec fiat puluis subtilissimus. ex alia parte scil. vasale vbi est lignum combustum. in illo vasali vbi remanserat pistetur donec in subtilissimum puluerem reuertatur et cum eo miscentur ℈ VII muscati ℈ I debetur de ambra odorifera et omnes pulueres misceatis in illo vasali insimul & subtilissime. hic puluis corrodit nebulam clarificat visum et conforta spiritum visibilem et constringit lacrimas si sint ex humore frigido confortat cerebrum & eleuat supercilia et dolorem emigraneum destruit. Et tum recordamur vobis quod cum magna discrecione et studio oportet facere ne aliquid cadat in ipsum. Componitur enim cum praedictis rebus de cinere nec de alijs carbonibus. Omnes res praedictas puluerisate per se tam de muscata quam de ambra et quam de zuccaro et similiter cum praedicto ligno combusto. Facto puluere de omnibus praedictis rebus simul in pixide de actu-

Digitized by Google

ata reseruetur. Item **R.** fel lucij marini et fel istius piscis qui vocatur storpena ana ℈ I et cum puluere facto de radice qui vocatur herba debucira [?] conficiatur ad modum postea & prius ad solem ponatur donec bene exsiccetur et iterum puluerisa. **Et** iste puluis corrodit panniculum et distulit rubedinem. **Item R.** fel vrsi et misceatur cum puluere margaritarum perforatarum ana O I tucie nouem vicibus in maluasia extincte et vnam zaphirum emasticarum ana ℥ I et ℔ fiat puluis minutus qui inbibatur in oleo camphore et exsiccetur et iterum conferatur et addatur zuccari albi ℥ ℔ aloes cicatrini ℥ s' misceatur. **Item** oleum oliuarum vetus multorum annorum corrodit pannum in [v 2] occulo et lumen clarificat tantum quod violentus est. semper in sero cum medicamentis pone super occulum de emplastro laudabiliori. **Item** zuccus vue acerbe per xl. dies ante maturacionem misceatur cum puluere allex. ad modum paste et exsiccetur ad solem et puluerisato adde zuccaro quod sit de puluere pars I et de zuccaro partes due. Corrodit enim iste puluis pannum et rubedinem occulorum aufert et lumen clarificat.

EXplanauimus vobis tractatum de diuersis pulueribus et docuimus vos quomodo debetis istos pulueres componere contra infirmitatem que apparet in occulo quasi nebula sparsa in aere claro. Vnde quando vos invenietis pacientem cum talibus panniculis seu nebulis vos debetis vnumquemque mederi secundum possibilitatem suam & magnificare deum & dare honorem nobis et arti nostre probatissime occulorum. **Et** quando non poteritis vnum puluerem istorum habere siue invenire recurratis ad alium quia omnia sunt probata a nobis et multos de illa infirmitate cum alijs accidentibus supradictis curauimus et liberauimus semper gracia dei adiuuante. Sed debetis custodire omnes infirmos ab omnibus eis contrarijs dum medicetis eos donec reducantur ad pristinum statum. Custodiant se a carnibus bouinis hircinis caprinis vaccinis salsatis a fumigatis ab angwillis a coytu a scrophinis a salsamentis labore et fatigacione corporis et alijs similibus. **Item** cum medicetis non permittatis eos ieiunare nec multum vigilare nec exire de domo propter claritatem solis & acris nec debetis pacientes permittere inspicere in lumen nec in lucernam quia multum offenditur. donec [267 r 1] reditur ad pristinum statum faciatis eos stare in obscuris locis ad plus quam possint. **Et** comedant sorbilia oua assata cum pane si sunt iuuenes bibant aquam si senes bibant vinum bene limphatum. quod

Digitized by Google

si cura prolongatur ita quod natura non adiuuet eos cito dedimus eis de carnibus castrinis et edilinis elixatis cum pane si habent cursum lacrimarum et semper habeant prandium cum speciebus garis cytramini z'z' et paulatim elongatis eis dietam donec ierit de bono in melius. Ammodo veniamus ad colliria pro alijs diuersis infirmitatibus que accidunt circa palpebras occulorum et prohibent lumen siue tunicam occulorum & non dimittunt pacientem habere requiem die noctuque.

35. Cap.

DIcimus igitur de primo de rubedine & grauedine palpebrarum et de quocunque modo sit causa. R. tutie allex. lapidem amatistis sangwinem draconis coralli rubei aloe epaticum bol'i armeni ana ζ β. Sarcocolle spice nardi z'z' ana ζ I zuccari candi Allex. alias circa tres firme' camphore mirie olibani masticis ana ξ β R. radicis petrosilij al' feniculi ruthe absinthij ana M I. hec omnia terantur in mortario et in vno mundo vase ponantur et distemperentur cum 3bus lb. bonj vini albi et super ignem lentum buliantur donec vinum consumatur et reuertatur ad medietatem & deponatur ab igne et coletur per pannum lineum in vase vitreo reseruetur et de hoc collirio pro praedicta infirmitate in occulis ponatis mane et sero donec palpe curentur et liberentur ad plenum Item ad praedictam infirmitatem R. tucie allex. ξ β antonij eciam adusti ξ I [r col. 2] zuccari consomnium I. de tali ciuitate ξ I rosarum siccarum ξ I et serua. Hec omnia puluerizentur preter rosas et in noua olla cum tribus lb. vini boni buliantur donec vinum consumatur usque ad medietatem. postea coletur in vase vitreo & reservetur & de illo collirio seu colatura mane & sero intus occulos ponatis donec paciens liberetur. Item collirium ad praedictam infirmitatem: R. tucie allex. ξ I & 4° tollas rubi que pistentur bene ad modum salse & cum praedicto puluere tuciam in nouam ollam ponatis cum duabus libris boni vini & tantum bulliatur quod vinum consumatur & conuertatur usque ad medium postea coletur per pannum lineum & illud collirium in vase vitreo seruetur & vtatur sicut alijs & tamen detur pacienti quousque plenarie sanetur. Sequitur

DEscripsimus vobis coliria probatissima contra palpebram & rubedinem & grauedinem occulorum. Quia uero cum istis collirijs innumerabiles homines curauimus et liberauimus habentes

Digitized by Google

praedictas infirmitates non nobis sed altissimo deo nostro Iesu Christo demus gloriam. Sed ista coliria que sunt a nobis composita Non valent contra pannum uel pannos ymmo nocent quia vnum est consolidatum & confirmatum. Et ideo si posueris in occulo colliria facta cum vino super pannum occulorum nunquam paciens postea ad convalescenciam reuertetur. Vnde audiatis contraria contra pannum et convalescenciam contra palpebras rubeas et ipsam grauedinem et similiter occulorum. Operamini igitur ipsa cum salute et cum benediccione mea reddatis graciam & deo nostro Iesu Christo qui nobis dedit cognicionem de eis & ea cognoscendi et oretis deum ut ipse dignetur conseruare & ad effectum deducere causas vestras. Amen.

Digitized by Google